Q. D. B. V.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA DE JURE NATURÆ,

Qvam
Benevolo indultu inclytæ
FACULT. PHILOSOPHICÆ
Præſide

VIRO
PEREXIMIO atq; PRÆSTANTISSIMO

DN. M. CASPARO-ESAIA Siegfrieden/
publico examini ſubjicit
JOHANNES-SIGISMUNDUS DEUERLIN,
Tauchá-Miſnicus, Magiſterii Candid.
A. & R.

Ad diem IX. Novembr.

Lipſiæ,
LITERIS RITZSCHIANIS,
Anno M. DC. LXI.

F. M. Carpzovius

CUM DEO!

PROOEMIUM.

SOlonem Legiſlatorem Athenienſium prudentisſimum roganti, cur parricidis pœnam nullam conſtituiſſet, reſpondiſſe, refert Cicero, qvod id neminem facturum putasſet. Sapienter feciſſe dicitur, cum de eo nihil ſanxerit, qvod antea commiſſum non erat, ne non tàm prohibere, qvàm admonere videretur. Similem in modum publicè *Jus naturæ* propoſituris, ejusqve naturam evoluturis objiciat qvispiam, qvid opus prolixâ de eo tractatione aut ventilatione; cùm nemo adeò deteſtabilis ſit futurus, qvi, qvid *Juris naturæ* ſit, neſciat, aut qvoties actiones ei conformandæ, prius regulam earum inqvirat. Ita ſanè DEUS *Jus* hoc cordibus inſculpſit hominum, ut eô, qvò hodiè aſſolet modo, ipſe ſcribi & promulgari ſuperfluum à primordio rerum duceret. Verùm enim verò, uti propter Solonis ſententiam parricidæ nihilominus non defuerunt; ita nec deſunt, qvibus *J.N.* violare nulla eſt religio. Nihil enim tàm abſurdum, qvod non habuit aliqvando aſſertorem; nihil tàm manifeſtè clarum, qvod non, cùm ab aliis, tùm ab arbitrantibus, nullius rei dari ſcientiam; ſed omnium eſſe opinionem, in dubium eſt vocatum. Cùm autem error in principio gravior & perículoſior ſit aliis, utpotè infinitos poſt ſe trahens: Ideò nos impræſentiarum *Juri Naturæ*, ſi non omnimodam, attamen nonnullam pro ingenii noſtri tenuitate, aſſundere lucem, paucisqve theſibus id complecti, operæ duximus pretium. Qvod ut feliciter procedat, faxit primus *Juris* hujus Dictator.

Orat. pro Roſc. Amm.

§ 1. Cùm *Jus Naturæ*, de qvo diſputamus, complexum voce ſit, in duplicem duplicis vocis originem inqvirere nobis in-

cumberet; verùm qvia magis in controverſiam venit *Juris*, qvàm *Naturæ* origo, miſsâ hujus, illius attingemus originem. Undè enim dicatur *Jus*, variæ apud varios extant autores ſententiæ. Potiores nos recenſebimus, liberum relinqventes cuiqve, qvam velit amplecti, Ebræo Ebræam; Græco Græcam, alii aliam. Deducunt nonnulli *Jus* ab Ebræo יָשָׁר, rectitudo, æqvitas, qvia *Jus* nihil aliud dicat, qvàm qvod rectum eſt. Alii à יֶשַׁע ſalus, qvia Prov. 3. v. 7. 8. *Jus* eſt ſalutare obſervatoribus. Alii adducunt ab Ebræis vocem תּוּשִׁיָּה, qvâ ſignificatur *Jus*, lex, qvia ſtabilis ac durabilis eſt horum eſſentia. Hæc autem ipſa vox à יֵשׁ eſt, deducitur. A Jeſch itaqve poteſt eſſe *Jus*, qvia verè eſt. Veritas enim eſt *Juris* in Lexic. Philol. & juſtitiæ fundamentum. Martinius.

§. 2. Jura alii ab *ἱερὰ* deducunt eò, qvod magnam inter ſe habeant convenientiam: ita tamen ut e tranſeat in u; ſicut utranſit in e in dejero, qvod eſt à juro. De orig. Lat. Ling. in lit. I. Becmannus *Jus* eſſe ab illâ tragicâ ac lamentabili ejulatione Græcorum *ἰοῦ*, ſpondere audet.

§. 3. A juſſo *Jus* per apocopen qvaſi juſſum, utpotè qvod natura jubeat, deducit Perottus. Juriſconſultos, *Jus* à juſtitiâ Lib. de doct. promiſc. c. 28. dicentes ridet Galeotus Martius, qvia magis rem ea ſapiat derivatio, & *Jus* non tantùm ad leges; ſed & pulmentaria referatur. Et qvamvis qvædam ſint, pergit, de qvibus ratio reddi non poſſit, hoc tamen habet derivationis certam figuram. Hinc à juvando potiùs *Jus* deducit, tali ratione nixus: Sicut corpus noſtrum jure juvatur & nutritur: ita & civitates, qvæ ut corpus coaluerunt, legibus & jure juvantur & aluntur.

§. 4 Ab hâc ſententiâ parùm decedit Grotius, in Proleg. lib. de J. B. & P. probabiliter *Jus* à Jovis nomine dici poſſe hariolans, qvia ejus origo non aliundè, qvàm à DEO petenda. Hinc Chryſippus & Stoici itidem à Jove Jus eſſe putabant. Niſi qvod per abſciſsionem fortè verius, ut ex eo, qvod fuit oſſum, os; ita ab eo, qvod fuit Ju- in Annot. in Proleg. ſtum *Jus*, *Juſis*, poſteà *Juris*, uti ex Pappiſiis Pappirii, dici putet; Aliis *Jus* qvaſi *Juxta* dici propter æqvalitatem, qvam ubiqve obin Synopſ. Eth. l. 2. de virtute. ſervet, Alciato *Jus* qvaſi vis appellari refert Jacob. Martini.

§. 5. *Jus Naturæ* alio nomine vocatur recta ratio, *Lex Naturæ*. Qvamvis *Lex à jure* accuratè loqvendo differat, *Jus* enim eſt id, qvod non injuſtum eſt, lex autem illud intimat. DEUS crea-

creaturis intelligentibus *Jus* initio impreſſit, poſteà verbo ſuo expreſſit, recta ratio eſt, qvæ id intelligit, lex autem eſt doctrina de eo. Ideo fit, ut recta ratio, lex & *Jus* idem nonnunqvam ſignificent. Vocatur etiam dictamen rectæ rationis, notitia principiorum practicorum, parvi igniculi & innata virtutum ſemina.

§. 6. Dicitur præterea etiam *Jus Gentium*, etiamſi Feldenus ſecundum GrasvvinckelI ſtricturam abſtinendum eſſe à denominatione hâc putet, qvia apud Ariſtotelem ejus mentio non fit, & juri Romano natales ſuos demum debet. Nec moramur JCtos, qvi in his à Philoſophis diſſentiunt, nec inter ſe ipſos conveniunt. Notamus enim omnis confuſionis evitandæ gratiâ, *Juris Gentium* duplici modo dici poſſe aliqvid (1.) Objectivè, qvod omnibus Gentibus ad obligationem præſcriptum eſt: (2. Originaliter, qvod ipſæ gentes pro arbitratu conſtituerunt. *J. N.* ita dicitur priori modo. Hunc in modum pro iisdem *Jus Naturæ & Jus Gentium* habet ipſe Cicero inqviens: Neqve verò naturâ id eſt *Jure Gentium*, ſed & legibus populorum eodem modo conſtitutum eſt. Et alibi: Omni in re conſenſio omnium Gentium lex Naturæ putanda eſt. Hinc non incommodè Grotius qvoqve diſtinguit *Jus Gentium* in naturale & voluntarium dicens: *De Jure naturali ergò, qvod & Gentium dici poteſt, ſatis conſtat, eô bella non improbari: Juri autem Gentium voluntario itidem non damnari bella, ſatis nos docent hiſtoriæ, & omnium populorum Leges ac mores.* Hoc *Jus* alibi dicit etiam civile, ſed latiùs patens, qvod Gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi accipit. Multarum notanter dicit, qvia vix ullum reperitur extra *J. N.* qvod ipſum qvoqve Gentium dici ſolet, omnibus Gentibus commune. Conringius non minùs *Juris Gentium* dicit conſtitutionem inter Hiſpanos & Batavos, ut bello captus à captore ſe ſuo menſis unius ſtipendio poſſit redimere, qvàm ſervitutem.

in ſtrict. ad cenſ. Feld. pag. 15.

vid. init. ff. ll. 2. 3. 4. 5. Tribon. & Inſt. §. 2. de J. N. G. & C. §. 4.

Lib. 3. Off.

Lib. 1. c. 2. Par. 4. de J. B. & P.

Lib. 1. c. 1. de J. B. & P. Par. 14.

Diſp. de leg.

§. 7. Qvemadmodum autem *Jus* non uno modo dicitur, qvorum æqvivocorum modorum triginta ſex qvosdam congeſſiſſe, de qvibus videri poſſe Johannem Monachum & nonnullos recentiorum ICtorum refert Martini; Appoſitione tamen vocis *naturæ*, plurimi præſcinduntur; ita qvoqve vocabulum *naturæ* ambiguum parit ſenſum. Sumitur enim aliqvando (1) *pro naturâ*

loc. cit.

univerſa. (2.) *Pro natura* ſpecialiori, qvam nobiſcum bruta habent commmunem in procreatione ſobolis &c. Cujus intuitu Ulpianus
leg. 1. ff de Juſt. & jure. *Jus naturæ* definivit, qvòd ſit, qvod natura omnia animãtia docuit. (3.) Sumitur ſpecialiſſimè & propriè *pro natura rationali*, qvomodo naturæ Deum dicunt profani ſcriptores non eum, qvi naturam univerſam Cœlum & mare creavit; ſed hominis Genium, qvi na-
lib. 2. epiſt. 2. turam cujusq; fovet & regit, ceu Horatius canit:

Scit Genius, natale comes qvi temperat aſtrum,
Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum,
Qvodq; caput vultu mutabilis albus & ater.

Aſt ejusdem æqvivocum ſenſum reſtringit non unum appoſitum vocabulum *Juris*, qvod ſignificat, hoc in loco non intelligi jus culinare, aut tale qvid, qvod natura omnia animantia docuit. De
in annot. ad Grot. de J. B. & P. p. 19. & ſeq. qvocunq; uſu hujus Ulpianæ definitionis glorietur Feldenus; abuſum tamen interveniſſe nominis juris hîc ſtatuunt ipſi doctiores Romani Juris Interpretes, v. g. Bacchovius, qvia *Jus* in ani-
ad inſtit. l. 1. Tit. 2. tex. 1. malia nullum cadit, utpotè ratione & liberis actionibus deſtituta; ſed id qvod recta ratio faciendum aut omittendum dictitat.

§. 8. Diverſiſſima igitur ſunt, eſſe naturale & eſſe Juris naturalis, eſſe contra naturam & contra Jus eſſe naturæ. Hoc ſenſit malè ad legem naturæ referri vis & injuriæ propulſationem, maris ac fœminæ conjunctionem, liberorum procreationem, aliaqve ejusmodi à natura qvidem deſcendentia, ſed non à jure naturæ,
diſp. de leg. doctè diſputat Conringius, cum ita infit: Naturalia ſeu à natura eſſe dicuntur etiam illa, qvæ natura (α) permittit tantùm, (β) ad qvæ inclinat, (γ) qvæ honeſta eſſe indicat & ſi non debita. (δ) Qvibus non repugnat, qvæve ideo juſta dicuntur, qvia injuſtitia carent. A lege naturæ ſola illa ſunt, qvæ jubet natura, ut fiant vel non fiant, qvæve adeò ſine peccato omitti neqveunt, ut educatio liberorum &c. Qvanqvam, qvod illam attinet locutionem, qva diverſiſſima modo diximus eſſe contra naturam & eſſe contra *Jus*
Thom. in 1. 2. qvæſt. 94. art 3. *Naturæ*, Thomas novum injiciat ſcrupulum dicens: Natura hominis poteſt dici illa, qvæ eſt propria hominis, & ſecundum hoc omnia peccata, in qvantum ſunt contra rationem, ſunt etiam contra naturam: vel illa, qvæ eſt communis homini & aliis animantibus, & ſecundum hoc qvædam ſpecialia peccata eſſe dicuntur

contra

contra naturam: Sicut contra commixtionem maris & fœminæ, quæ naturalis omnibus animalibus, eſt concubitus maſculorum, qvod ſpecialiter dicitur vitium contra naturam.

§. 9. Objiciat enim aliqvis: datur aliqvod vitium contra naturam animalem, Ergò datur aliqvod *Jus* naturæ in bruta cadens. R. Seqvi illationem informatam: datur aliqvod vitium contra naturam objectivè, Ergò datur aliqvod jus naturæ objectivè. *Jus* enim verſatur circa actiones non ſolùm humanas, ſed & eas, qvas nobiſcum bruta habent communes. Aliud autem eſt poſtmodum ſubjectivè vitium dari, qvod negamus. Per conſeqvens neq; *Jus* ſubjectivè cadit in bruta.

§. 10. Abſolutis qvalicunq; modo nominalibus, ad realia plenis velis veheremur, niſi negotium nobis faceſſeret abſurda ſententia ſtatuentium, nullum prorſus *Jus* dari, ſed omnium rerum Hor. l. 1. Ser.
eſſe opinionem, dicentium cum Poëta: Sat. 3.

Nec natura poteſt juſto ſecernere iniqvum.

Sunt enim, qvi cum Achille jura negant ſibi nata, nihil non armis ſibi arrogantes, qvorum è numero multi omni tempore extiterunt, ut hodieq; ſunt plurimi, præprimis Politici Athei. Græci ejuſmodi homines eleganter χειροδίκας appellàrunt. Grotius his advocatum neminem potiùs dat, qvàm Carneadem, qvi ad faſtigium Academiæ ſuæ pervenit, ut ſcil: non minus pro falſo, qvàm pro vero eloqventiæ viribus voluerit contendere: Conatus is eſt probare, *Jus naturæ* nullum eſſe, & ſi ſit aliqvod, id homines ſibi utilitate ſan- Qvint. l. 12. c.
xiſſe varium pro moribus, & apud eosdem pro temporibus ſæpè 1. Gell. l. 7. c.
mutatum. Proindè nullam qvoqve eſſe juſtitiam, aut ſi ſit aliqva, ult. Macro.
eam ſummam eſſe ſtultitiam, qvoniam ſibi noceat alienis commo- 1. Satur. c. 5.
dis conſulens. De cujus opinione pluribus videri poſſunt Qvinti- Lact. copio-
lianus, Gellius, Macrobius & Lactantius. ſiſſimè l. 5. c. 15. ſeqq.

§. 11. Nobis horum ſententias examinaturis, duplici via commodè eundum: (1.) ut videamus, an ſit aliqvod *Jus naturæ*: (2.) An omne ab utilitate ſolâ dependeat? Priori jam ſatis faciemus, poſteriore ad ſeqventes reſervatâ theſes. Et qvidem nullum prorsùs dari *Jus naturæ*, potiſſimùm hoc argumento evincere conantur: Nullum *Jus Naturale* eſt mutabile: omne *Jus* eſt mutabile E. nullum jus eſt *Jus naturæ*. Maj. eſt noſtra. Ipſi enim immu-

immutabilitatem hujus *Juris* infra fatebimur juxta Ariſtotelem, deſcribentem *Jus Naturæ*, qvod ſit, qvod ubiq; eandem vim habet, non qvia ita videtur aut non videtur. Min: probant à diverſis Gentium inſtitutis. Sic enim apud Lacedæmonios furta & adulteria, apud Majores noſtros latrocinia in uſu fuiſſe & impunè lata, ſcribunt Plutarchus, Xenophon, Julius Cæſ: Tacitus & Arniſæus. Plura collegit Calixtus. Sed reſponſio eſt facilis, cùm non propterea, qvod juri naturæ ſe aliqvis ſubtrahat, aut contra id agat, ipſum *Jus* deſinat obligare, ſed in ſe maneat immutabile; ubivis enim tale eſt, ubivis tale habetur, modo mens atqve ratio ſeſe rectè habeat. Qvæ igitur gentes id juſtum fortè dixerunt, qvod naturâ eſt injuſtum, illæ ſanè mente laborarunt. Fieri enim poteſt, ut per falſas opiniones, aut pravas peccandi conſuetudines, ita humanus obſcuretur intellectus, ut in particulari vix attendat, qvid rectum & honeſtum ſit. De qvo ipſo conqveritur Apoſtolus dicens, obſcuratum habere homines tenebris intellectum. Aliud faciunt, aliud judicant faciendum eſſe. Ipſa enim conſcientia propria contra ipſos teſtatur, qvam nec ipſa impia Epicuri Philoſophia excutere potuit. Usqve adeo innatum eſt,

Plut. in Lycurg. Xenoph. l. de repub. Laced. Jul. C. l. 6. de Bell. Gall. Tacit. de morib. Germ. Arnis. de doct. polit. c. 17. de legibus. Calix. tract. de LL. mor. Theol. in ſert. Rom. 1. v. 21. Eph. 4. v. 18.

Nocte, dieq; ſuum geſtare in pectore teſtem.

Qvi enim qvàm maximè negant dari *Jus Naturæ*, refelluntur tamen

Occulto qvatiente animum tortore flagello.

§. 12. Affirmativam autem, dari nimirum *Jus Naturæ*, hunc in modum demonſtrare poſſumus: datur aliqvis finis ultimus ſummè bonus, eumq; actiones humanæ aſſeqvi poſſunt, Ergò dantur qvoqve certæ ad illum obtinendum actiones. Qvia datur qvoqve malum, ad qvod aliæ ducunt actiones. Illas actiones igitur omnino exigit natura, qvæ ad illum faciunt finem, qvæ verò ad hunc, prohibet. Sunt ergò qvædam actiones, qvas prohibet, qvædam, qvas poſtulat peragendas natura. Adeoqve non eſt humano arbitratui permiſſum ſimpliciter, qvidvis qvocunqve modo pro lubitu agere atqve omittere. Jam verò actiones naturæ conformes, utiqve benè, naturæ autem difformes, malè ſeſe habent, ſuntq; peccata. Omnis autem bona actio præmio, mala pœnâ afficienda, qvod idem eſt, ac eſſe juſtum & injuſtum. Ergò-

gò Sole meridiano clariùs eſt, *Ius* aliqvod eſſe in actionibus humanis à naturâ dependens. Veriſſimum namqve Ciceronis: Omnia incerta ſunt, ſimul à jure diſceſſum eſt. Hinc præclarè qvoqve Philoſophus probat, nullam communitatem, ne latronum qvidem, absqve jure conſiſtere poſſe. Rurſus Cicero de hoc *Iure* graphicè & emphaticè loqvitur. Eſt enim (Judices) non ſcripta, ſed nata lex, qvam non didicimus, accepimus legimus; verùm ex naturâ ipsâ arripuimus, hauſimus, expresſimus, ad qvam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, ut ſi vita noſtra in aliqvas inſidias, ſi in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. in Orat. pro Mil.

§. 13. Qvandoqvidem datur *Ius* aliqvod *Naturæ*, inqvirendum nunc ſubjectum ejus, qvod non ſunt, (1.) Bruta, qvia deſtituta ſunt agendi libertate, *Ius* autem præſupponit moralitatem. Neqve ea injuriam pati, ſed pauperiem dicuntur. Qvod ſi qvando brutis, verba ſunt Grotii, *Ius Naturæ* tribuitur, id fit impropriè, ex qvâdam in ipſis umbrâ rationis atqve veſtigio. An verò actus ipſe, de qvo *Ius Naturæ* conſtituit, ſit nobis communis cum aliis animantibus, an proprius, ad *Iuris* ipſam *Naturam* parùm refert. Et ſi DEUS dicitur vindicaturus ſangvinem hominis etiam in bruto: Si mandatur occidi jumentum, qvîcum homo ſeſe commiſcuit, non eò pertinet, ac ſi bruta *Iuris* ſint capacia; verùm fiunt ea in ſignum deteſtationis, qvâ DEUS iſta ſcelera proſeqvitur. (2.) Subjectum *Iuris Naturæ* neqve ſunt infantes, anteqvam ad annos diſcretionis perveniant, qvia προαίρεσις illis denegata eſt, juxta Ariſtotelem, obtinet enim hîc illud Æſchili dictum: Ætas prima ceu brutum pecus, ut educetur, mentis alienæ indiget. Sicut & (3.) Philoſophus relegat hinc furioſos & mente captos. Remanet itaqve nobis homo, qvatenus rationis compos & libertate gaudet actionum ſuarum. Gen. 9. v. 5. Exod. 21. v. 28. Lev. 20. v. 15. 1. Polit. c. ult.

§. 14. Proinde hæ ipſæ actiones in homine contradiſtingvendæ veniunt. Non enim illæ juſtæ vel injuſtæ dicuntur, qvæ non ſunt in noſtra poteſtate, v. g. palpitatio cordis, ſitis & fames, nec qvando vapulamus, ne id ſentiamus; ſed eatenùs actiones humanæ *Iuris* ſubjectum ſunt, qvatenùs ſubjacent imperio

rationis. Hinc affectus, ira, triſtitia, gaudium &c. in ſe non ſunt vitioſi, ſed hoc vel illo modo affici, honeſtum, vel turpe di-cendum.

§. 15. Verùm ut & limites *Iuri Naturæ* ponamus, non omnes actiones humanas in noſtra poteſtate ſitas, *Iuris Naturæ* objectum dici neceſſe eſt, ſed eas duntaxat, qvæ neceſſariò mora-
l. 1. de J. B. & liter bonæ, vel malæ, qvas Grotius debitas vel illicitas vocat,
P. c. 1. Par. 10. non qvæ civiles, & anteqvam de iis conſtituatur, indifferentes ſunt. Hoc enim objecto diſcriminantur invicem diverſæ *Iuris* ſpecies. *Ius* enim legitimum actus indifferentes, nec tamen & illos omnes, cum propter infinitam circumſtantiarum varietatem leges de iis qvoqve ferri non posſint, habet pro objecto.
l. c. Qvamvis idem Grotius Objectum *Iuris* naturæ ad ipſas qvoqve res humanæ voluntatis arbitrio ſubjectas, v. g. dominium, extendere non vereatur. Verba hæc ſunt: *Sciendum præterea, non de iis tantùm agere* Jus Naturæ, *qvæ citra voluntatem hominum exiſtunt, ſed de multis, qvæ voluntatis humanæ actum conſeqvuntur. Sic dominium, qvale nunc in uſu eſt, voluntas humana introduxit. At eo introducto, nefas mihi eſſe id arripere te invito, qvod tui eſt dominii, ipſum indicat* Jus Naturæ. Nos misſis, qvæ ſupra hunc locum diſputant inter ſe Feldenus & Grasvvinckelius, putamus, rem eò recidere, ut ſtatuamus, actus qvoqve indifferentes eſſe objectum *Iuris Naturæ*, non ut ſunt indifferentes; ſed ut jam de iis conſtitutum, & illi debiti ſunt vel illiciti: Si qvis autem ex his inferat: Q. objectum eſt *Iuris Naturæ*, id ipſum eſt *Iuris Naturæ*: Dominium objectum eſt *I. N.* E. & ipſum eſt *I. N.* Conſeqventia neganda eſſet majoris, vel ita limitanda: Q. objectum eſt *I. N.* ut tale conſtituendum, id ipſum eſt *I. N.* Atqvi dominium eſt objectum *I. N.* ut tale conſtituendum. E. Neg. minor. Non enim præcipit natura de dominio conſtituendo, ut eſt dominium ſimpliciter ita dictum; Secùs absqve ſummo peccato contra *I. N.* commiſſo dominium declinare nemo poſſet, omnesqve ſervi dominio deſtituti gravisſimè eſſent puniendi, ſed de conſtituto. Poſſunt itaqve hi actus indifferentes eſſe objectum *I. N.* ſed non immediatum. Qvod ita diximus de dominio, idem de aliis ab humano

ar-

arbitrio introductis, v. g. ſervitute, bello, pactis &c. intelligendum venit.

§. 16. Cum autem ex his jam cognitis nondum conſtet, qvinam actus ſint debiti vel illiciti, multo minùs, qvid ſit *I. N.* propriè ita dicti, qvid minùs, inqvirendum ampliùs, qvidnam actioni alicui in eſſe turpitudinem aut honeſtatem moralem efficiat? Invenias hîc non paucos ſupra allegatos, utile qvodvis honeſto præferentes, qvi dicant cum Horatio:

Utilitas juſti propè mater & æqvi.

Aut cum Euphemo apud Thucydidem: Ἀνδρὶ τυράννῳ ἢ πόλει ἀρ- Lib 6.
χὴν ἐχούσῃ ὐδὲν ἄλογον ὅτι συμφέρον. *Regi aut civitati imperanti nihil injuſtum, qvod fructuoſum.* Et videntur tacitè homines in hanc ſententiam qvaſi inviti trahi, non eqvidem ratione illâ ab animantibus brutis deductâ, qvod & illa utilitatem tanqvam maximè naturalem ſectentur, cum infirma hæc ſit; ſed potiùs hoc argumento: Natura nihil magis vult, qvàm ſui conſervationem; Natura dictitat: te defendas, proximus qvilibet ſibi ipſi, caritas ordinata incipit a ſeipſâ, qvod Germani hâc exprimunt formulâ; **Das Hembde iſt mir näher als der Rock.** Non minùs enim natura ſvadet, ne teipſum lædas, qvàm neminem lædas. Seqvitur ergò, qvod homini damnoſum, nullo modo naturam ab eo poſtulare poſſe, & vi contrariorum, qvod ei utile, id optimo poſtulare jure. Per conſeqvens, non eſſet virtutis nec juſtum omninò, mortem appetere, anteqvam inter duo mala moralia unum eligas. Mors enim eſt ultimum malorum, naturæ qvàm maximè adverſum. Hujus argumenti vim ipſe vi-
dit Ariſtoteles & Conringius ita inferens: *id, qvod de morte virtutis* l.1.Nic. c.10.
ergo appetenda affertur, fateor haud parvi eſſe ponderis; Neq; enim Diſp.de Jure.
video, qvomodo ſolvere hunc nodum poſſint, qvi a morte negant homi- The.37.
nem poſſe beatum eſſe, qvo in cenſu ipſemet eſt Ariſtoteles, illis enim l.1.Eth.c.10.
mors eſt aliqvid ſimpliciter damnoſum. Si nihil ergo natura poſtulat fieri, qvod ſimpliciter ei adverſatur. Ergo nec mori juſtum pro virtute. Ad id enim vulgatisſimum: Dulce eſt pro patriâ mori, regesſit alius, dulcius eſſe pro eâ vivere.

§. 17. Verum enim verò ſupra diſtinximus inter eſſe contra naturam & eſſe contra Jus Naturæ. Etiamſi de ipſis qvoqve

naturalibus v.g. de morte, qvæ hinc naturæ dicitur debitum, *Ius Naturæ* conſtituat; inde tamen non ſeqvitur, ſimpliciter moriendo aliqvem peccare. Mori enim ſimpliciter non eſt contra *Ius Naturæ*, ſed hoc vel illo modo mori, ſi qvis v. g. ſibi ipſi violentas inferat manus, ille hoc modo moriendo peccat. Jam ad rem: diſtinguit Conringius in homine animum à corpore. Sunt qvæ animo conducunt, corpori minùs, & viciſſim, ſunt qvæ corpori bona ſunt, neutiqvam verò animo. Simpliciter homini ergo utilia ſunt, qvæ & animo & corpori proſunt, aut animo maximè. Qvæ autem corpori ſoli qvodam modo adverſantur, illa non ſunt ſimpliciter homini noxia. Qvemadmodum nemo dixerit, damnoſum id corpori eſſe, nec in medicamento habendum, qvod lingvam forte vellicat, aut guſtum amaricat. Jam verò nihil natura juſtum dixit, qvod ſimpliciter & animo & corpori eſt noxium, aut qvod animo ſoli obeſt. Sed ſiqvid fortè corpori minùs placet, id tamen maximè animo profuerit. Diſtinguendum igitur utile, qvod pugnat cum honeſto, ab eo, qvod non pugnat. Qvi itaqve utilitatem omne jus conſtituere autumant oppoſitum honeſto, abſurdiſſimi ſunt, qvia ea non vera, ſed apparens eſt. Utile autem illud, qvod honeſtum conſeqvitur, conſtituentes, nos non habent contradicentes.

disp. de jure.

§. 18. Qvi verò mortem damnoſam & corpori habent & animo, ii ſanè difficulter rem expedient. Sanioribus tamen Philoſophis nec ignotum eſſe poteſt, animam poſt interitum hominis manere ſuperſtitem. Eſto enim absqve hâc cognitione homo beatus in hac vitâ qvantum poteſt, fruatur omni bono, qvantum acqviri poteſt, ſi mortis recordabitur, ſentiet. ſibi maximam deeſſe perfectionem, mente volvens & vovens: O ſi mihi perpetuò liceat eſſe tàm beato. Eo ipſo autem ſignificabit animæ ſuæ immortalitatem, cogitando de perpetuitate, exoptando æternitatem, (uti enim aliqvid eſt, ita operatur) & per conſeqvens tales eligendas ducet actiones, qvæ huic immortali ſpiritui non ſint contrariæ aut nocivæ, qvia damnum hoc longè majùs futurum damno corporis interituri.

§. 19. Hinc nullo non tempore Philoſophi Ethnici reperti ſunt, qvi immortalitatem animæ aſſeruerunt. Pherecydes, Py-

tha-

thagoræ Magiſter, animos hominum ſempiternos, atq; immortalem animam in Græciâ primus, Servio Tullio Romanis imperante, docuit & præfractè adſeveravit è Philoſophis: cujus rei multa reperire licet teſtimonia in Phædro, aliisqve Dialogis Platonis. Unum è multis huc faciens proferre libet: Atqve dum, ô Socrates, in vitâ ſumus, ita nos, ut decet, debemus parare, ut minimum nobis ſit cum corpore commercium, niſi ſumma cogat neceſſitas, nec ipſius Naturam imbibamus: ſed puri & integri ab ipſo ſimus, donec Deus hinc nos migrare juſſerit, atqve ita puri & ab inſaniâ corporis liberati, ut conſentaneum eſt cum talibus, i. e. puris & integris verſabimur & per nos ipſos cognoſcemus, qvod eſt ſincerum. Brachmanni, Indorum Philoſophi, ſtatuerunt, vitam præſentem credi oportere, veluti conceptum vitalem, mortem v. egreſſum ad veram felicemqve vitam iis, qvi rectè fuerant Philoſophiâ imbuti. Eadem doctrina fuit Græcorum Magorum. Lib. 1. Philip. Theopompus juxta Magorum ſententiam ſcriptum reliqvit, revicturos aliqvando homines, immortalesqve futuros. Ex qvo manaſſe, ut Democritus homines ſuſcitatum iri à mortuis ſtatuerit, Lib. 7. c. 55. de nimium falsè, nedùm ſceleſtè à Plinio eo nomine deriſus, qvia nōdum ipſe revixerit, refert Salmuth in Panciroll: novo orbe Tit. 1. Sed in his pauperis eſt numerare pecus. Tantum igitur abeſt, ut utile actionem aliqvam reddere poſſit juſtam, ut potiùs juſtum actiones reddat utiles, & in eo nullam tranqvillitatem animus reperiat, obtineatq; De doctr. illud, qvò plus ſunt potæ, plùs ſitiuntur aqvæ. Contra hanc ſen- Chriſt. l. 3. c. tentiam vide qvoq;, qvæ diſputavit Auguſtinus. 14.

§. 20. Neutiqvam etiam audiendi ſunt, qvi omnis juris conſtitutionem in vi atqve potentiâ conſiſtere autumant: dicentes jus illud, qvod validiori placuit: Wer den andern vermag/ ſteckt ihn in Sack/ ſeu cum illo Spartanorum Rege, beatiſſimam eſſe Rempublicam, cujus fines haſtâ & gladio terminarentur. Qvò etiam meretur Machiavelli impii iſtius Politici ſententiam, qvi tyrannidem eandem poſſe acqviri qvam juſtitiâ, inter malum & bonum unum æqvè latè patere, qvàm alterum, parere ſubditos Principi non minus Tyranno propter Tyrannidem, qvàm bono propter clementiam, inde regna tyrannide cœpta & fundata, potentiſſima fuiſſe, & diutisſimè duratura eſſe, iniqvisſimè ſtatuit.

 §. 21.

§. 21. Qvod enim vim ſpectat & potentiam, ut ut ea aliqvid ad juris executionem faciant & omne jus ſine ſuo absqve viribus miniſtris careat externo; inde tamen intrinſecè jus non conſtituitur, nec vi deſtitutum omni caret effectu. Efficit enim conſcientiæ tranqvillitatem, injuſtitia autem tormenta ac laniatus, qvales in Tyrannorum pectoribus Plato deſcribit. Regis autem Spartanorum ſententiam pridem alius, Pompejus nomine, correxit dicens: Beatiorem eam fore Rempublicam, qvæ juſtitiam haberet pro finibus. Qvem ad modum alterius itidem Spartani Regis uti poſſumus autoritate, militari fortitudini juſtitiam anteponētis hoc argumento, Qvod & ipſa fortitudo juſtitiâ qvâdā regi deberet. Nā ſi juſti eſſent homines, fortitudine illâ non indigerent.

§. 22. Machiavelli impietas ſeipſam deſtruit, qvemadmodum malum non ſolum bono, ſed & ſibi ipſi contrariatur. Apparebit modo abſurditas, cum jam, qvod reliqvum, deduxerimus, *J. N.* conſiſtere in conformitate ſeu convenientiâ naturæ rationalis. Id inde patet: Ad certum finem obtinendum certæ reqviruntur actiones & media. Non enim ad qvemvis finem qvævis faciunt media: ſed ea duntaxat, qvæ fini iſti ſunt conformia. Atqvi finis actionum humanarū eſt bonum, malum enim ſub ratione mali voluntas nunqvam appetit. E. & media fini iſti proportionata, & per conſeqvens bona eſſe neceſſe eſt, illa itaqve bona fini adaptata *Jus N.* conſtituunt. Confirmatur, qvia à bono nil niſi bonum, à malo nil niſi malum. Uti cuneus cuneum trudit, ita malum, ceu ſuccinum paleas aliud poſt ſe trahit malum. Malum punitur malo, unde pœna talionis, ut per qvod qvis peccat, per idem puniatur & idem, & Tyranni rariſſimè placidâ morte obeant. Ad rei meliorem intellectum exempli loco hoc *J. N.* dictatum adducimus: Qvod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Qvod tibi non vis fieri, proptereà non vis, qvia naturæ rationali malum videtur, qvod itaqve tibi malum inferri non vis, nec inferas alteri, ſecus illud malum, qvod tu inferebas, eodem jure vice verſâ ab alio tibi inferri poteſt. E. neminem lædas, neminem occidas. Si enim indifferenter unicuiq; liceret alterum occidere, nec tu ipſe tutus eſſes, nec ulla ſocietas conſiſtere poſſet, qvod ipſum naturæ rationali repugnat. E. ſi vis tui conſervationem, conſtitue, neminem eſſe lædendum, qvod nihil poſteà eſt aliud, qvàm convenientia naturæ rationalis.

§. 23.

§. 23. Verùm cùm & ipſum Jus legitimum conformitatem & convenientiam habeat cum naturâ rationali, ità, ut ad minimum qvicqvid eo conſtituitur, injuſtitiâ careat, qvo factum, ut ſæpiſſime, qvæ gentium aut alius juris, *I. N.* habita ſint, etiamſi natura ea ſaltem arbitratui humano permiſerit, uti de dominio rerum clara eſt, qvod vel inde conſtat, qvod Nerva filius referente Paulo, dominium rerum ex naturali poſſesſione cæpiſſe &c. ait. Qvemadmodum & nemo dixerit, Jus divinum poſitivum cum difformitate rationalis naturæ conſtitutum eſſe, diſtinctisſimum tamen à Jure *N.* Seqvitur aliud ſuperaddendum, qvo omni Juri voluntario *I.N.* contradiſtingvatur. Id verò tale eſt, ut convenientia ſeu diſconvenieⁿtia illa cum honeſtate ſeu turpitudine morali conjuncta, ab ipſâ naturâ rationali & ipſo Deo auctore, *neceſſariò* prohibita ſit aut præcepta.

L.1.ff.§.de acqvir. & amittend. poſſeſſ.

§. 24. *Neceſſarium* autem cùm ſit duplex, *Abſolutum & hypotheticum. Abſolutum*, cujus oppoſitum ſtatim involvit contradictionem. *Hypotheticum*, qvod anteqvam eſt, aliter ſe habere poteſt, poſito tamen ejus eſſe, non poteſt aliter ſe habere, ſed *neceſſariò* eſt. Qværitur hoc loco, qvale *neceſſarium* intelligendum? Feldenus in Grotium ita infit: *Qvod ſi Ius N. in hypotheſi qvâdam dependente à mera voluntate ſubſiſtere admittatur, omne juſtum, per Syllogiſmum deductum ex juſto legitimo erit I. N. tendetq; in infinitum &c.* pag 18.

§. 25. Diſtingvimus nos ipſam conſeqventiam hypotheticam ab hypotheſi, aſſerendo, necesſitatem hypotheticam non omnimodè excludendam eſſe. Abſolutè itaq; neceſſaria côvenientia aut diſconvenientia cum Natura rationali v. g. Deum colere, aut adulterium committere non tantùm *I. N.* conſtituit; ſed & hypothetica talis v. g. ſi homines dominio utuntur, qvi alteri proprium qvod eſt, eripit poſteà, ejus actio ſit diſconveniens cum rectâ ratione. Qvare autem hypotheſin rejiciamus, cauſa ea eſt, qvia hypotheſis nihil ponit in re.

§. 26. Diximus modo à Deo eſſe *I. N.* hinc ſimul origo & fons luminis hujus naturalis eluceſcit, originem nimirum ejus non indigentiæ & metui injuriæ accipiendæ adſcribendam ſecundum iſtum verſiculum:

Jura inventa metu injuſti fateare neceſſe eſt.

Ne-

Neqve alii cauſæ ex accidenti; uti Herodotus refert, homines forte fortunâ in ſocietates confluxiſſe, conſpectu ignis; Sed omnis Fonti boni, Deo Creatori hujus univerſi, absq; qvo utpotè ſummè bono, imò ipsâ bonitate, uti nihil eſt, qvod factum eſt, ita nullum bonum eſt qvod bonum eſt.

§. 27. Cum autem dupliciter aliqvid à Deo eſſe poſſit: (1.) ut ita ab eo ſit, ut aliter eſſe non poſſit, qvem modum dependentiæ à Deo *ex naturâ rei* vocant Scholaſtici. (2.) Ut ita ab ipſo ſit, ut aliter ſe habere poſſit, qvem modum *arbitrarium* vocant. Factum eſt, ut de *Jure N.* qvomodo id à Deo dependeat, in duplices qvoqve abirent autores ſententias, & difficillimas moverent hâc in parte controverſias, quæ cùm potius forum Theologicum qvàm Philoſophicum reſpiciant, apud illos videantur. FauſtiSocini hæreſin, eumqve ſecutorum profitentium, nihil per ſe juſtum eſſe naturâ adeò, ut niſi de novo per Salvatorem noſtrum eſſet promulgatum illud, proximum ames, non furtum facias &c. Horum nihil homines hodiè obligaret; ſpecialiter attingere facilè ſuperſedere poſſumus, cùm multi Scholaſticorum v. g. Guilhelmus Occam, Johannes Scotus, Bonaventura, Ægidius, &c., qvi, qvamvis uti omnes à Socino in aliqvibus disſident, ita & inter ſe non omnimodè conveniant, ſinguli tamen ſtatuunt, *N. I* obligare tantùm ex liberrimo qvodam decreto divino, eoqve relaxabili ita, ut qvod lex *N.* prohibuit, iisdem circumſtantiis alicui licitum ſit, imò ut qvis id teneatur agere. Sententiam ſuam hinc probare conantur, qvod Deus hominem liberrimè produxerit. E. & omnia, qvæ hominem conſeqvuntur. Qvod Deus in homicidio, furto, Polygamia, inceſtu &c. diſpenſarit: Qvod fieri neqvaqvam potuiſſet, niſi *Ius N.* voluntarium & per conſeqvens mutabile eſſet.

1. Sent. diſp. 19.
3. Diſp. 27. qvæſt. una.
1. Diſp. 47. qvæſt. ult.
2. Diſp. 47. qvæſt. 3.

§. 28. Qvæ omnia tamen tanta non ſunt, ut à ſententia eorũ nos deduci patiamur, qvi aſſerunt *I N.* tale eſſe non ex nudâ voluntate Dei, ſed ex naturâ rei, qvia firmioribus nititur hæc ipſa ſententia argumentis; Uti enim Deus eſſentiæ ſuæ nihil creare potuit contrarium; ita qvæ creavit tanqvam ſummè bonus, cum omne bonum communicativum ſui, creare qvoqve bona neceſſe habuit. Hinc vidit omnia, qvæ fecit, & erant valdè bona, naturalia uti naturaliter: ita moralia multò magis moraliter. At bonum ejusmodi morale aliud nihil eſt, qvàm *I. N. E. I. N.* tale eſſe

de-

debuit ex Naturâ rei, ſecùs DEUS ſibi ipſi eſſet contrarius, qvod abſurdum. Deindè uti omnes res habent æternam veritatem, ſicuti dicitur Canone Philoſophico: eſſentiæ rerum ſunt æternæ: ita & voluntas humana æternum habet objectum *Bonum*; Naturæ enim rationali aliud nihil præſcribi potuit, qvàm qvod illi eſt conveniens. Atqvî qvod neceſſariò conveniens eſt naturæ rationali, id eſt *J. N.* Sanè mundus condi & non condi potuit à DEO, creari homo & non creari. At creari homo non potuit, qvi non ſit animal rationale, qvia ejus oppoſitum ſtatim involvit contradictionem: ita & volũtas humana creari potuit & non creari, creari autem non potuit, qvæ non feratur in conveniens ſuæ naturæ. Idem enim qvatenus eſt idem, non poteſt non eſſe idem, qvemadmodum bis duo fuiſſent qvatuor, etiam cum nulla res, cui numerus hic applicari potuiſſet, extitiſſet. Qvod contra datam rationem eſt notandum.

§. 29. Ad reliqva adverſariorum argumenta, de homicidio, furto, ſcortationeqve facilis eſt reſponſio, & nullibi non obvia. Homicidium enim illud non fuit homicidium vitio ſuſceptum, furtum non furtum, ſcortatio non ſcortatio, qvia objecta eorum fuerunt mutata.

§. 30. Polygamiam autem non eſſe contra *J. N.* latiùs deduxit Grotius. Per Polygamiam autem ea intelligitur, qvâ mas unus pluribus copulatur fœminis; contraria enim huic, qvâ una fœmina pluribus copulatur viris, *Naturæ* repugnat. Certum enim eſt, gentes antiqvitùs plurium fœminarum conjugio uſas, propè ſolos Barbarorum Germanos ſingulis uxoribus contentos ſuô tempore fuiſſe ſcribit Tacitus. Hujus Germanorum continentiæ cauſam Bodinus impotentiæ generandi Germanorum falſiſſimè tribuit & ex iniqvo affectu. Apprimè enim, qvo affectu erga Germanos ducatur, prodit addendo, *eos falli plurimum, qvi Germanorum pudicitiam & continentiam tantoperè laudant.* Altera autem ratio ejus, qvod aliqvi pluribus, aliqvi tantùm unâ uxore ſint contenti populi, id fieri propter copiam aut inopiam fœminarum. Nam apud Septentriones dicit, aut parem aut majorem eſſe marium, qvàm fœminarum copiam. Ad Auſtrum multò plures eſſe in omni genere animantium fœminas, qvàm

l. 2, de J. B. & P. c. 4. §. 8. ad 15.

de morib. Germ. l. 5. de Repub. c. 1.

mares, & Cæſarem, Britannos ſæpè duodecim unâ uxore contentos, ſcribere; ridenda omninò. Nulla enim gens in uſu habuit polygamiam, qvâ plures mares uni copulentur fœminæ. Qvod enim Cæſar de Britannis ſcripſiſſe adducitur, falſum eſt. Si enim qvàm maximè tale qvid ſcripſiſſet, ex ejus libri qvinti verbis eruendum eſſet, ita ſe habentibus: *Uxores habent deni duo deniq; inter ſe communes; ſcil. Britanni.* E qvibus ſententiam ſuam nunqvam probabit Bodinus.

§. 31. Qvanqvam autem non deſint ex Noſtratibus Theologis, probabiliùs putantes, legem de monogamiâ eſſe naturalem, immutabilem & indiſpenſabilem; Præferenda tamen omninò eſt B. Hülſemanni ſententia, prohibitionem polygamiæ non ad *J. N.* ſed *J.* poſitivum divinum referentis. Qvò referenda etiam Meiſneri ſtatuentis, circa polygamiam Patrum in V. T. interceſſiſſe aliqvam diſpenſationem, qvæ fieri non poteſt, niſi circa legem poſitivam. Neqve eſt, qvod aliqvis refugium qværat in diſpenſatione qvoad pœnam, ejusmodi peccato conſtitutam, cum nec in ipſa pœna ejusmodi fieri poſſe diſpenſatio videatur.

Hülſ. Brev. c 21. Th. 8.

§. 32. De inceſtu res difficultate non caret. Nam cauſas certas & naturales (verba ſunt Grotii) cur talia conjugia illicita ſint, excepto matrimonio parentum cum liberis cujuscunqve gradùs, aſſignare qvi voluerit experiendo diſcet, qvàm id ſit difficile, imò præſtari non poſſit. Cùm autem propterea, qvod hæc Theologiam ſapiant, & ſcandalum præbeant, nobis integrum non ſit, liberè aliqvid ſtatuere à Superioribus impeditis; facilè qvoqve ſicco pede id ipſum præterire poſſumus.

§. 33. His modò adductis exemplis, qvibus *J. N.* reddi videbatur mutabile, adduntur ab aliis plura, libertas ſcil. qvæ ſit *J. N.*, mutetur tamen aliqvando in ſervitutem: communio rerum, qvæ & ipſa ſit *J. N.* multiplicatis tamen hominibus, factâ rerum diviſione, mutata in proprietatem. Hanc Grotius tanti habet, ut parùm abſit, qvin eam ipſam dicat Paradiſum, ita ut ſi homines in eâ perſtitiſſent, ipſam Paradiſum poſſediſſent. Hinc neſcio, qvam nobis à primævâ ſimplicitate & charitate leviuſculam narrat defectionem, de arboribus vitæ & ſcientiæ boni & mali mirificas proferens allegorias, Orthodoxis Theologis contrarias.

L. 1. de. J. B. & P. c. 2.

De

De qvibus vide pluribus Excellentiſſimi Thomaſii dictata in hunc Grotii locum. Feldenum in eundem, & Strauchium diſp. de imperio maris c. 1.

§. 34 Qvæ Becanus ad hæc reſpondet, non ſunt ad palatum; ſic enim habet: *Ad communionem dico, omnia fuiſſe communia* J. N. *non poſitivè, qvaſi* J. N. *præceperit rerum omnium communitatem, & prohibuerit diviſionem, ſeu proprietatem (qvod ſine dubio falſum eſt;) ſed negativè, qvia ab initio nihil hâc de re ſtatuit nec qvicqvam proprium alicui aſſignavit, permittens omnia in communem uſum.* Illud enim eſſe *J. N. negativè*, nihil aliud eſt, qvàm *non eſſe J. N.*, præceptum enim *negativum* illo *negativè eſſe J. N.* nullo modo intelligi poteſt. Qvod enim alii qvoqve diſtinguunt inter *J. N. præcipiens* & *permittens* diſtinctio eſt nominis, non rei. Theol. Schol. tract. 3. c. 3. de L.N. qvæſt. 3. art. 5.

§. 35. Qvemadmodum autem libertas, ita neqve communio rerum *Juris* eſt *Naturæ* cùm ſimiliter proprietas rerum, qvam non minùs *Natura*, introduxit, ac communionem, denominatione *Juris N.* gauderet; Nec putandum, primum hominem nihil habuiſſe proprii, cum ipſa, ſi prætereà nihil, maximè communio ipſi in proprium ceſſit. Ut igitur in medio omnia conſiſtunt, uti nec omnia facienda, nec nulla &c. ita nec omnia fuerunt communia nec nulla, hodièqve nec omnia propria nec nulla. Nec ſvadendo nos adducet Grotius, ut credamus, ſtatum durare poſſe hominum, in qvo omnia ſint communia, qvalem adhuc videre liceat in qvibusdam Americæ populis, & qvidem communionis ex ſimplicitate. Statum autem communionis ex charitate exhibuiſſe olim Eſſenos & Chriſtianos primos Hieroſolymitanos, hodièqve non paucos vitam aſceticam degentes. Etenim ubi omnia communia, ibi largiendo opera charitatis exercere nemo poteſt. Nec ullus homo erit adeò ſimplex, qvi nolit ſibi vel tunicam, vel manus proprias, niſi ipſe omnibus communis fieri communio, i. e. in omnibus aliqvid, in toto nihil, inſerviendo omnibus, ipſe conſumi, & proſtibulum dici velit. Omnia igitur ſi eſſent communia, ſocietas humana minimè conſiſtere poſſe videtur.

§. 36. Nullatenus etiam ſeqvitur *J. N.* eſſe mutabile, proptereà, qvia v. g. depoſitum eſt reddendum, hoc mutatur in fu-

rioſo. Nunqvam enim recta ratio dictitavit, depoſitum *indifferentèr* eſſe reddendum, ſed ſub certâ conditione. Vide de his, qvæ diſputant inter ſe Feldenus & Grasvvinckelius in Grotium.

§. 37. Invictum igitur manet, *J. N.* ex naturâ rei tale eſſe, non dependere à voluntate divinâ, ut mutari, ſed ut nec ipſa in eo diſpenſare poſſit. *Immutabile* autem cùm dicimus, diſtingvimus terminum mutabilitatis. *Mutabile* enim aliqvid dicitur tribus potiſſimùm modis: (1.) *additione*, ut ſi *Juri N.* per legem poſitivam aliqvid ſuperaddatur, v. g. DEUM eſſe colendum, *J.* eſt *N.*, at ſeptimo vel primo die eum colere *Juris* eſt *Arbitrarii* priori ſuperadditi. (2.) *Deſitione* ſeu *abrogatione*, ut ſi lex prorſus abrogetur & deſinat obligare, uti v. g. legem de inceſtis nuptiis abrogavit Nerva. (3.) Dicitur aliqvid mutari *facto contrario*, v. g. qvando homines contra *J. N.* agunt ex tali contractâ conſvetudine, ut *J. N.* penitùs deletum videatur de cordibus eorum. E qvibus mutationis modis *J. N. immutabile* dicitur tantùm juxta medium modum.

§. 38. Ut ita falſi ſint Pontificii, qvi in *Jure N.* diſpenſationem à Papâ, licet non ita apertè, tectè tamèn, fieri poſſe, ſtatuminant. Jovem igitur lapidem juret Becanus, *in diſp. an fides ſit ſervanda Hæreticis?* diſpenſationem ejusmodi à DEO fieri poſſe, ſe non ſtatuere, aliud tamen ipſa docet nos experientia. Pacta enim & fidem datam ſervare eſt *Juris N.* cur ergò Hæreticis perhibent hæc non eſſe ſervanda? Nuptias inceſtuoſas contrahere eſt contra *Jus Divinum*, cur in his Papa diſpenſat, cui tamen DEUS hæc ob ſcelera integra regna evertendo contrarium monſtrat? In qvocunqve igitur DEUS ipſe non poteſt diſpenſare, in eo neqve Papa poteſt diſpenſare, & poſito, DEUM in *Jure N.* uti in *Jure poſitivo* diſpenſare poſſe, neutiqvam tamen Papa id poſſet.

§. 39. His igitur, qvid ſit *Iuris* N. à priori ſatis oſtenſum eſt, nimirum omne id, qvod habet neceſſariam convenientiam cum *natura rationali*. Huic modo probandi additur alter à poſteriori, qvando nempè non eqvidem aliqvid certiſſimâ fide, *probabiliter* tamen *Iuris N* eſſe colligitur ex eo, qvod apud omnes Gentes moratiores obtineat. Univerſalis enim effectus univerſalem qvoq; reqvirit cauſam, hinc Heſiodi dictum:

Φήμη δ' ὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἣν ἵνα πολλοὶ
λαοὶ Φημίζουσι.

§. 40.

§ 40. Qvandoqvidem qvid ſit *Juris N.* qvomodocunq; declaratum, reſtat pertractanda ejus diviſio. Dividitur autem *J. N.* in principia & concluſiones, qvarum aliæ generales, aliæ ſpeciales. Inter qvas hoc eſt diſcrimen, ut generaliores maximè ſint manifeſtæ, his proximæ manifeſtæ ipſæ, & dubitationem nullam admittant, reliqvæ autem nonnullæ faciliorem, aliæ difficiliorem habeant cognitionem, haud ſecus, uti in Mathematicis & Phyſicis, ubi qvædam ſunt notitiæ primæ aut primis proximæ, qvædam principia, qvæ ſtatim ex ipſis intelliguntur terminis, v. g. Totum majus eſt ſuâ parte, qvædam vera qvidem, ſed non omnibus perſpicua, v. g. Ignis eſt diviſibilis, cujus principium eſt generale, omne qvantum eſt diviſibile; ſpecialiùs, Omnis materia eſt qvanta; ſubſeqventer omne corpus habet materiam, omnis ignis eſt corpus E.

§. 41. Qvemadmodum autem falſi ſunt, qvi autumant, id propriè *J. N.* dici, qvod natura tanqvam principia qvædam indemonſtrabilia inter omnes conſtituit, nec humanis ab ingeniis excogitatum eſt; Qvod verò conjuncta hominum & ratio & ratiocinatio ex primis illis principiis deduxit, id propriè *Jus gentium* appellari, in qvam ſententiam Bellarminus loqvitur. Simpliciter enim qvi condidit univerſalia præcepta, ille eo ipſo condidit qvoqve omnia ſub univerſalibus iſtis neceſſariò comprehenſa: ita nolumus in diviſionem vocare etiam omnis generis illationes & concluſiones, ne *Jus legitimum* cum *J. N.* confundatur. Ita enim comparatum eſt cum *Jure legitimo* uno vel altero, ut id apud alias Gentes v. g. *Jus Saxonicum* in qvibusdam apud Turcas, uti olim *Jura Græca* apud alias Gentes, obtineat, ideo, qvod nullum melius conſtitui poſſit, idqve maximè rationi ſit conſentaneum. In circulo enim rerum ita comparatum eſt, ut unum ſemper deducatur ab altero. Ne igitur fiat progreſſus qvaſi numerando in infinitum, obex ponendus. Qvis enim hanc concluſionem: atomus eſt diviſibilis, confidentiùs deducere è principiis Phyſicis ſibi præſumat non minus, atqve illam: Ignis eſt diviſibilis. Plurimi tamen ſunt, qvi eam negant, imò ne dari qvidem hanc ob cauſam ejusmodi atomos, conſtanter aſſerunt.

Bell. l. 3. de memb. Eccl. milit. c. 20. & l. 4. de Rom. Pontif. c. 16.

§. 42. Hanc ipſam ob cauſam ignorantia nonnullius con-

cluſionis ex *Jure N.* deductæ, non ita perſpicuæ, pœnam mitigat. Concluſiones enim non æqvè unicuiqve ad oculum patent, ac principia, accidit enim in his, ut ſæpius poſt factum inadvertens conqveri neceſſe habeat cum cætera doctisſimo viro non nemine: O Bone Deus, qvomodo ego deveni in hanc periculoſisſimam controverſiam.

§. 43. Inde controvertitur, an lex poſitiva obliget in conſcientia ita, ut, ſi peccet contra eam aliqvis, peccet ſimul contra *naturam?* ℞ diſtingvendo, obligare aliqvid in conſcientiâ & contra *Jus Naturæ* committi (α) *Principaliter & per ſe.* (β) *Conſecutivè.* Obligat *lex poſitiva* non *priori* ſed *poſteriori* modo. Ita ſanè transgreſſor *Juris* poſitivi, pœnæ ſe ſubducturus, reluctando Magiſtratui *Ius N.* violat.

§. 44. Principium ejusmodi *Iuris N.* omnium generalisſimum eſt: Omne bonum ſeqvendum, omne malum fugiendum; Concluſiones generales, ergo honeſtè vivendum, E. Numen divinum colendum, E. parentes honorandi. Qvod tibi non vis fieri, alteri non feceris. E. nemo lædendus. E. adulterium non committendum, nec furtum: Sed unicuiqve ſuum tribuendum &c.

§. 45. Hæc ipſa præcepta *Iuris N* dividuntur porrò in *affirmativa & negativa*, inter qvæ diſcriminis hoc eſt, qvod negativa prohibeant omnes actiones malas, easqve omni tempore v. g. furtum nunqvam eſt committendum; *affirmativa* autem præcipiant eqvidem actiones bonas, ſed non omnes v. g. Cultus divinus certo tempore inſtitui poteſt. Semper enim tenemur abſtinere â qvocunqve malo, non tamen ſemper tenemur facere qvodcunqve bonum. Hinc fluit alia diſtinctio, ubi diſtingvitur peccatum in *commisſionis* & *omisſionis*, qvæ enim contra *Iuris N.* præceptum aliqvod *negativum* perpetrantur, dicuntur peccata commisſionis; qvæ contra *affirmativum*, peccata *omisſionis*. Et qvia difficiliùs eſt aliqvid committere qvàm omittere, hæcqve peccata ſæpiùs ex inadvertentiâ qvâdam, illa verò magis ex proæreſi committuntur, mitiùs qvoqve hæc illis puniuntur.

§. 46. Nec minùs *Iuris N.* eſt, executionem qvod ſapit, omne bonum præmio, malum pœnâ afficiendum, atqvi omne bonum ſeqvendum, malum fugiendum. E. adulterium, homicidium,

um, furtum &c. punienda. Obſtare qvidem videtur Ciceronis ſententia: Eſt aliqvid qvod non oportet, etiamſi licet, & Ammiani Marcellini: Sunt aliqva, qvæ fieri non oportet, etiamſi licent. Ubi licere tantundem eſt, qvod impunè eſſe apud homines, minùs propriâ tamen ſignificatione. Imò qvædam impunè licita vulgò creduntur *naturâ* licita; ſic enim Pomponius ait, in pretio emptionis & venditionis *naturaliter* licere contrahentibus ſe circumvenire. Hunc in modum in lege qvoqve Moſaicâ multa impunè tranſeunt, inhoneſta tamen.

Orat. pro Balbo.

l. 30.

§. 47. Verùm propterea qvod aliqvid contra *Ius naturæ* commiſſum impunè feratur ab hominibus ob inveteratam conſuetudinem, inde non ſeqvitur, id prorſus impunè latum iri, etiamſi nó injuſtas eſſe has permisſiones humanas, ex eo conſtare videatur, qvia qvæ puniri neqveunt ab hominibus ſine periculo majoris mali, illa ut puniantur, *natura* non exigit non tantùm; ſed & ſuadet, ut maneant impunita. Qvemadmodum ipſe Salvator ſuaſor eſt, ut zizania relinqvantur usq; ad meſſem, ne evellatur ſimul triticum. Pomponius autem ludit in vocabulo *naturaliter* non ſumendo pro *I. N.* ſed pro eo, qvod recepti pasſim moris eſt. Modeſtini autem illud magis ſeqvendum: Semper non ſolùm qvid liceat, conſiderandum, ſed & qvid honeſtum ſit.

§. 48. An autem *Ius N.* poſtulet pœnas inferendas ſecundum proportionem Geometricam aut Arithmeticam, aut Harmonicam; & qvæ ſunt alia hùc pertinentia ventilatione digna, latiùs deducere prohibemur. Propterea alii tempori commodiori & otio hæc reſervantes receptui canimus, lucubrationem noſtram hanc qvalemcunqve definitione Ariſtotelis concludentes: *Ius Naturæ* eſt, qvod ubiq; eandem vim habet & non qvia ita videtur vel minimè.

SOLI DEO GLORIA.